

obsequio, sub Beati Petri et Nostra protectione suscipimus, et præsentis scripti privilegio communimus imprimis siquidem statuentes, ut ordo monasticus, qui secundum Deum et Beati Benedicti Regulam in eodem monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur præterea quascunque possessiones, quæcunque bona idem monasterium impræsentiarum justè ac canonicè possidet, aut in futurum concessionē Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque Successoribus et illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus vocabulis exprimenda. Locum ipsum, in quo præfatum Monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis, in villa Ringelheym viginti mansos, molendinum et quadraginta quinque areas, præterea quindecim Curtes, quæ claustrales dicuntur, et tam spiritualiter quam temporaliter vestri juris existunt. villam Hagehusen cum Ecclesia et omnibus aliis pertinentiis suis, uno manso excepto. in villa Hauerlo quatuordecim mansos et Capellam Sci Servatij cum omnibus pertinentiis suis. in Chieteringebrodhe septem mansos unam aream et Ecclesiam cum pertinentiis suis. in Wackersleve triginta quatuor mansos et decem areas et dimidiam. in Gunnesleve duodecim mansos, quatuor areas et dimidiam et quinque jugera. in Hockensleve